


### Secreta.

Haec múnera, quaésumus Dómine, et víncula nostrae pravitátis absólvant, et tuae nobis misericórdiae dona concílient. Per Dóminum nostrum.

2. *de S. Maria*, 705. — 3. *pro Ecclesia vel pro Papa*, 250.

*Praefatio Paschalis*, 7.

(M.M. ♪ = 160.)

Comm. 1. (*ré-la*)




### Postcommunio.

Vota nostra, quaésumus Dómine, pio favóre proséquere : ut dum dona tua in tribulatióne percípimus, de consolatióne nostra in tuo amóre crescámus. Per Dóminum nostrum.

2. *de S. Maria*, 706. — 3. *pro Ecclesia vel pro Papa*, 251.



# IN ASCENSIONE DOMINI.

## IN I. VESPERIS.

*Omnia ut in II. Vesperis*, 735, *praeter sequentia :*

Ad Magnif. Ant. 6. F (*fa-la*)




*Cant.* Magníficat. 6. F. 203, *vel* 205. — *Oratio.* Concéde. 732.

### Tonus Hymni ad Completorium.

(M.M. ♪ = 144.)

4. (*mi-la*)



que nóstrum cómprime, Ne pol- lu- án-tur cór- po-ra.

3. Jé-su tí-bi sit gló- ri- a, Qui ví- ctor in caé-

lum ré-dis, Cum Pátre et álmo Spí- ri- tu, In

sempi- tér-na saé- cu-la. A- men.

*Sic terminantur omnes Hymni ejusdem metri usque ad Pentecosten, etiam in Officio Sanctorum, nisi aliter notetur.*

*In eodem tono cantantur Hymni ad Horas etiam in Festis Sanctorum, usque ad Pentecosten.*

## AD TERTIAM.

(M.M. ♪ = 144.)

4. (*mi-la*) Nunc Sán- cte nó- bis Spí- ri-tus, Unum Pá-

tri cum Fí- li- o, Digná-re prómptus ín-ge-ri Nó-

stro re-fú- sus pé- cto-ri.

Os, lingua, mens, sénsus, vigor
Confessiónem pérsonent :
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat árdor próximos.

Jésu, tibi sit glória,
Qui victor in caélum rédis,
Cum Pátre et álmo Spíritu,
In sempitérna saécula. Amen.

*Ant.* Cumque. 736. *Capitulum.* Primum quidem. *e Vesperis,* 736.

℟. br. 6. (*fa-la*) Ascéndit Dé- us in ju-bi-la- ti- ó-ne : * Al-



le- lú- ia, al-le- lú- ia. ℣. Et Dómi-nus in vó-ce túbae.

Gló-ri- a Pátri, et Fí- li- o, et Spi-rí- tu- i Sáncto.

℣. Ascéndens Christus in áltum, allelúia.
℟. Captívam dúxit captivitátem, allelúia.

## AD MISSAM.

(M.M. ♪ = 152.)

Intr. 7. (*sol-ré*) Ví-ri Ga- li- laé- i, * quid admi-rá-

mi- ni aspi- ci- éntes in caé- lum? alle-

lú- ia : quemádmodum vi-dí-stis é- um ascen-dén-

tem in caé- lum, i- ta vé- ni- et, al-le- lú-

ia, al- le- lú- ia, al-le- lú- ia. *Ps.* O-

mnes géntes pláu-di-te má-ni- bus : * ju- bi- lá-te Dé-

o in vó-ce exsul- ta-tí- ó- nis. Gló- ri- a Pá-

tri. E u o u a e.

### Oratio.

Concéde, quaésumus omnípotens Deus : † ut qui hodiérna die Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ad caelos ascendísse crédimus, * ipsi quoque mente in caeléstibus habitémus. Per eúmdem Dóminum.

### Lectio Actuum Apostolorum. *Act. 1.*

Primum quidem sermónem feci de ómnibus, o Theóphile, quae coepit Jesus fácere et docére, usque in diem, qua praecípiens Apóstolis per Spíritum Sanctum, quos elégit, assúmptus est : quibus et praébuit seipsum vivum post passiónem suam in multis arguméntis, per dies quadragínta appárens eis, et loquens de regno Dei. Et convéscens, praecépit eis ab Jerosólymis ne discéderent, sed exspectárent promissiónem Patris, quam audístis (inquit) per os meum; quia Joánnes quidem baptizávit aqua, vos autem baptizabímini Spíritu Sancto non post multos hos dies. Igitur qui convénerant, interrogábant eum, dicéntes : Dómine, si in témpore hoc restítues regnum Israel? Dixit autem eis : Non est vestrum nosse témpora vel moménta, quae Pater pósuit in sua potestáte; sed accipiétis virtútem superveniéntis Spíritus Sancti in vos, et éritis mihi testes in Jerúsalem, et in omni Judaéa, et Samaría, et usque ad últimum terrae. Et cum haec dixísset, vidéntibus illis, elevátus est, et nubes suscépit eum ab óculis eórum. Cumque intueréntur in caelum eúntem illum, ecce duo viri adstitérunt juxta illos in véstibus albis, qui et dixérunt : Viri Galilaéi, quid statis adspiciéntes in caelum? Hic Jesus, qui assúmptus est a vobis in caelum, sic véniet, quemádmodum vidístis eum eúntem in caelum.

(M.M. ♪ = 160.)

4.
(*mi-la*)




(M.M. ♪ = 160.)

8.
(*sol-do*)









### ✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum. *Marc. 16. c.*

In illo témpore : Recumbéntibus úndecim discípulis, appáruit illis Jesus : et exprobrávit incredulitátem eórum, et durítiam cordis : quia iis, qui víderant eum resurrexísse, non credidérunt. Et dixit eis : Eúntes in mundum univérsum, praedicáte Evangélium omni creatúrae. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit : qui vero non credíderit condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, haec sequéntur : In nómine meo daemónia ejícient : linguis loquéntur novis : serpéntes tollent : et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super aegros manus impónent, et bene habébunt. Et Dóminus quidem Jesus, postquam locútus est eis, assúmptus est in caelum, et sedet a dextris Dei. Illi autem profécti, praedicavérunt ubíque, Dómino cooperánte, et sermónem confirmánte, sequéntibus signis. Credo.

(M.M. ♪ = 144.)

Offert.
1.
(*ré-la*)






## Secreta.

SUscípe Dómine múnera, quae pro Fílii tui gloriósa Ascensióne deférimus : et concéde propítius; ut a praeséntibus perículis liberémur, et ad vitam perveniámus aetérnam. Per eúmdem.

*Praefatio.* Qui post Resurrectiónem. 7.

(M.M. ♪ = 160.)

Comm. 1. (*ré-la*)




## Postcommunio.

PRaesta nobis, quaésumus omnipotens et miséricors Deus : ut quae visibílibus mystériis suménda percépimus, invisíbili consequámur efféctu. Per Dóminum nostrum.

### AD SEXTAM.

*Ant.* Elevátis mánibus. 736.

## Capitulum. *Act. 1.*

ET convéscens, praecépit eis ab Jerosólymis me discéderent, † sed exspectárent promissiónem Patris, quam audístis (inquit) per os meum : * quia Joánnes quidem baptizávit aqua, vos autem baptizabímini Spíritu Sancto non post multos hos dies.

℟. br. 6. (*fa-la*)









℣. Ascéndo ad Pátrem méum, et Pátrem véstrum, allelúia.
℟. Déum méum, et Déum véstrum, allelúia.

### AD NONAM.

*Ant.* Vidéntibus illis. 736.

## Capitulum. *Act. 1. b.*

VIri Galilaéi, quid statis aspiciéntes in caelum? Hic Jesus, qui assúmptus est a vobis in caelum, * sic véniet, quemádmodum vidístis eum eúntem in caelum.

℟. br. 6. (*fa-la*)




℣. Dóminus in caélo, allelúia.
℟. Parávit sédes súam, allelúia.

### IN II. VESPERIS.

*Psalmi.* 1. Dixit Dóminus. 7. a. 144. — 2. Confitébor. 8. G*. 150. — 3. Beátus vir. 4. A*. 154. — 4. Laudáte púeri. 8. G*. 161. — 5. Laudáte Dóminum. 8. G. 175.

1. Ant. 7. a (*sol-ré*)



2. Ant. 8. G* (*sol-do*)
Cumque * intu-e-réntur in caélum e- úntem íl-lum, di-xé- runt, al-le-lú- ia. E u o u a e.

3. Ant. 4. A* (*la-ré*)
E-le-vá-tis má-ni- bus, * be-ne-dí-xit é- is : et fe-re-bá-tur in caé- lum, al- le- lú- ia. E u o u a e.

4. Ant. 8. G* (*sol-do*)
Ex-al- tá-re * Ré-gem ré- gum, et hý-mnum dí-ci-te Dé- o, al-le- lú- ia. E u o u a e.

5. Ant. 8. G (*sol-do*)
Vi-dénti-bus íl-lis * e-le-vá-tus est, et nú-bes suscé-pit é- um in caélo, al-le-lú- ia. E u o u a e.

Capitulum. *Act. 1.*

PRimum quidem sermónem feci de ómnibus, o Theóphile, † quae coepit Jesus fácere, et docére usque in diem, qua praecípiens Apóstolis per Spíritum Sanctum, quos elégit, * assúmptus est.

(M.M. ♪ = 144.)

Hymn. 4. (*mi-la*)
1. Sa- lú- tis hu- má-nae Sá- tor, Jé-su vo-lúptas córdi- um, Or-bis red- émpti Cón-di-tor, Et cá- sta lux amán- ti- um. 2. Qua ví- ctus es clemén- ti-a, Ut nó-stra fér- res crími-na, Mór- tem sub- í-res ín-no-cens, A mór- te nos ut tól- le-res! 3. Perrúm- pis in- férnum chá- os, Vínctis ca-té- nas détra-his : Ví- ctor tri- úmpho nó- bi- li, Ad déx-te-ram Pátris sé-des. 4. Te có- gat in-dulgén- ti- a, Ut dámna nóstra sárci-as, Tu- íque vúltus cómpo-tes, Dí-tes be- á- to lú- mi-ne. 5. Tu dux ad ástra, et sé- mi- ta, Sis mé- ta nó-stris córdi-bus, Sis la-cri-má-rum gáu-di-um, Sis dúl-ce ví- tae praé- mi- um. A- men.




*(Sic cantatur in die Festi tantum; alias in tono solito.)*




*Cant.* Magníficat. 2. D. 200, *vel* 206.

Oratio.

Concéde, quaésumus omnípotens Deus; † ut qui hodiérna die Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ad caelos ascendísse crédimus, * ipsi quoque mente in caeléstibus habitémus. Per eúmdem Dóminum.



# Dominica infra Octavam Ascensionis.

AD MISSAM.




Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, † fac nos tibi semper et devótam gérere voluntátem, * et majestáti tuae sincéro corde servíre. Per Dóminum nostrum.

*Et fit commemoratio de Ascensione tantum. Oratio.* Concéde. 732.

**Lectio Epistolae beati Petri Apostoli.** *Petr. 4. b.*

Caríssimi : Estóte prudéntes, et vigiláte in oratiónibus. Ante ómnia autem, mútuam in vobismetípsis caritátem contínuam habéntes : quia cáritas óperit multitúdinem peccatórum. Hospitáles ínvicem sine murmuratióne : unus-

quisque, sicut accépit grátiam, in altérutrum illam administrántes, sicut boni dispensatóres multifórmis grátiae Dei. Si quis lóquitur, quasi sermónes Dei : si quis ministrat, tamquam ex virtúte. quam administrat Deus : ut in ómnibus honorificétur Deus per Jesum Christum Dóminum nostrum.

(M.M. ♪ = 160.)




(M.M. ♪ = 160.)









✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. *Joann. 15.*

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum vénerit Paráclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spíritum veritátis, qui a Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me : et vos testimónium perhibébitis, quia ab inítio mecum estis. Haec locútus sum vobis, ut non scandalizémini. Absque synagógis fácient vos : sed venit hora, ut omnis qui intérficit vos, arbitrétur obséquium se prestáre Deo. Et haec fácient vobis, quia non novérunt Patrem neque me. Sed haec locútus sum vobis, ut, cum vénerit hora eórum, reminiscámini, quia ego dixi vobis. Credo.

*Offertorium.* Ascéndit. 733.

### Secreta.

Sacrifícia nos, Dómine, immaculáta puríficent : et méntibus nostris supernae grátiae dent vigórem. Per Dóminum.

*Pro Ascensione. Secreta.* Súscipe Dómine. 734.

(M.M. ♪ = 160.)









Postcommunio.

REpléti, Dómine munéribus sacris : da, quaésumus; ut in gratiárum semper actióne maneámus. Per Dóminum nostrum.

*Pro Ascensione. Postcommunio.* Praesta nobis. 734.

IN II. VESPERIS.

*Omnia ut in die Ascensionis,* 735, *exceptis :*

Capitulum. *1. Petr. 4. b.*

CArissimi : Estóte prudéntes, et vigiláte in oratiónibus. † Ante ómnia autem, mútuam in vobismetípsis caritátem contínuam habéntes : * quia cáritas óperit multitúdinem peccatórum.

*Hymnus.* Salútis humánae Sátor. 736.

℣. Dóminus in caélo, allelúia.
℟. Parávit sédem súam, allelúia.

Ad Magnif. Ant. 8. G (*sol-do*)










*Cant.* Magníficat. 8. G. 204. — *Oratio.* Omnípotens. 739.

*Et fit commemoratio sequentis diei infra Octavam · Ant.* Páter, manifestávi. 729.

℣. Ascéndit Déus in jubilatióne, allelúia.
℟. Et Dóminus in vóce túbae, allelúia.

*Oratio.* Concéde, quaésumus omnípotens Deus. 738.

*Si autem sequenti die faciendum non sit Officium de Octava, dicitur Antiphona* O Rex. *ut in II. Vesperis Festi,* 738.



# Sabbato in Vigilia Pentecostes.

*Dicta Nona leguntur Prophetiae sine titulo, candelis altaris exstinctis usque ad principium Missae sicut in Sabbato sancto. In fine Prophetiarum dicuntur Orationes sine* Flectámus génua.

*Prophetia I.* Tentávit Deum Abraham. 630.

*Qua finita, Sacerdos dicit :*

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui in Abrahae fámuli tui ópere, humáno géneri obediéntiae exémpla praebuísti : concéde nobis, et nostrae voluntátis pravitátem frángere, et tuórum praeceptórum rectitúdinem in ómnibus adimplére. Per Dóminum.

*Prophetia II.* Factum est. 631. *cum Tractu* Cantémus Dómino. 631.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui primis tempóribus impléta mirácula novi testaménti luce reserásti, ut et mare Rubrum forma sacri fontis exsísteret, et liberáta plebs ab Aegyptíaca servitúte, Christiáni pópuli sacraménta praeférret : da, ut omnes gentes Israélis privilégium mérito fidei consecútae, Spíritus tui participatióne regeneréntur. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus.

*Prophetia III.* Scripsit Móyses. 637. *cum Tractu* Atténde caelum. 637.

Orémus. *Oratio.*

DEus glorificátio fidélium, et vita justórum, qui per Móysen fámulum tuum nos quoque modulatióne sacri cárminis erudísti : univérsis géntibus misericórdiae tuae munus operáre, tribuéndo beatitúdinem, auferéndo terrórem; ut quod pronuntiátum est ad supplícium, in remédium transferátur aetérnum. Per Dóminum nostrum.

*Prophetia IV.* Apprehéndent. 634. *cum Tractu* Vinea facta est. 635.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui per únicum Fílium tuum, Ecclésiae tuae demonstrásti te esse cultórem, omnem pálmitem, fructum in eódem Christo tuo, qui vera vitis est, afferéntem, cleménter éxcolens, ut fructus ámplius áfferat ampliores : fidélibus tuis, quos velut víneam ex Aegýpto per fontem baptísmi transtulísti, nullae peccatórum spinae praeváleant; ut Spíritus tui sanctificatióne muníti, perpétua fruge diténtur. Per eúmdem Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus.

*Prophetia V.* Audi Israel mandáta vitae. 633.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui nóbis per Prophetárum ora praecepísti temporália relínquere, atque ad aetérna festináre : da fámulis tuis : ut, quae a te jussa cognóvimus, implére caeléstí inspiratióne valeámus. Per Dóminum nostrum.

*Prophetia VI.* Facta est super me. 634.

Orémus. *Oratio.*

DOmine Deus virtútum, qui collápsa réparas, et reparáta consérvas : auge pópulos in tui nóminis sanctificatióne renovándos, ut omnes, qui sacro baptísmate diluúntur, tua semper inspiratióne dirigántur. Per Dóminum.

*His expletis, descendendo ad Fontem, cantatur Tractus* Sicut servus. 640.